

IV. IMPP. ROMANORUM
 NUMMOS
 IN MEMORIAM VICTORIÆ
DE SARMATIS
 OLIM REPORTATÆ
 CUSOS,



PRÆSIDE
M. GEORGIO WENDIO R.
 POLONICIS NUMMOPHILIS CONSIDERANDOS EXHIBET
 JOH. CZIMMERMANN, THOR.
 SYMBOLAM SUAM CONFERENTIBUS
CHRISTIANO CLOSIO, WENCESLAO RADOSSIO, & FRIDERICO
 Großman/ POLONIS.
 A. D. XIX. MART. A. O. R. M. DC. IIC.
 DIATRIBA PRIOR.

THORUNII, Excudebat Johann. Balthasar Breslerus, Gymn. Typogr.

6str. XV 580 XXXII 335 rzadki
 8.

Imperatorum Romanorum, DE SARMATIS victoriam olim reportantium, eandemq; certo metallo per Orbem postea divulgantium, sunt quatuor: Seculo I. FL. DOMITIANVS, Seculo II. M. AVREL. ANTONINVS. PHILOS. & Filius ejus, M. ANT. COMMODVS, Seculo IV. FL. VALER. CONSTANTINVS M. qui simul inde SARMATICI agnomen in Numismatibus suis indepti sunt. An vero præter Quatuor-Viros istos alii quoq; (e. g. AVGVSTVS) adversum hostes illos legionem eduxerint, in præsens non percontabimur: hoc solo, quòd ab aliis victoriati ejusmodi Sarmatici signati non fuerint, contenti.

[Primus & secundus Nummus, in fronte ari incisus, Domitiani; tertius M. Aurel. Antonini; ultimus Constantini M. est: Commodi autem, in postica Trophæum, ac pone istud duos ad tergum revinctos captivos exhibens, propter defectum Originalium appingi non potuit.]

Positio II.

INSCRIPTIONES, Victoriam eorundem in averfis sive posticis connotantes, variant. Quibusdam (M. Antonino & M. Ant. Commodo) arrisit hæc receptissima: DE SARM. vel integrè: DE SARMATIS. Domitiano & Constantino talis: SARMATIA DEVICTA. Cumq; idem Domitianus signa iisdem vel quasi extorssisset, curavit inscribi: SIGNIS A SARMATIS RECEPT. Extat quoq; peculiaris & rariuscule M. Aur. Antonini Nummus, & in hoc epigraphe: RESTITVTORI SARMATIÆ, cujus Typum Golzius communicat.

[SARMATICI agnomen in non paucis dictorum Imp. anticis repetitur, inscriptio vero laudata, nisi post impetratam præclaram victoriam, in usu non fuit. E. G. Postquam M. Aur. Antoninus primo adversum Sarmatas bello Sarmatici cognomen, insuper & hoc elogium, ut in Nummo RESTITVTOR SARMATIÆ diceretur, sibi promeruerat, in pluribus aliis Numismatibus (24. sortibus) eundem Sarmatici Titulum retinuit: concepta autem DE SARM. Inscriptio tum demum, cum triumpho dignum quid actum fuit, locum invenit.]

Positio III.

Quinam populi per SARMATAS istos h. l. designentur, ex Historia veterum rectius, quam e Geographia, innotescit. Absit nimirum, incredibilia illa Riphacium, Henetorum seu Venedorum, Peucinorum s. Bastarnarum, aliorumq; Sarmatarum, a Svevico mari ad Rha & Obii fluvium, portu ab Istri ac Patissi confluentibus ad Oceanum concretum usq; , longe lateq;

lateq; excurrentia Agmina victricibus Romanorum subicere Armis. Ex eo potius, quod I.) Pannoniis vicinis nonnunquam molesti illi fuerint, 2.) Dacorum, Quadorum, Marcomannorum, (itidem finitimorum,) Vandalorum, Suevorumq; focii in bello adversum Rom. perhibeantur, non male colligitur, *Sarmatas vicinos*, h. e. *Jazygas*, Ptolemæo *Metanastas s. Vagos* nuncupatos, intelligendos esse. Ita enim Jul. Capitol. in vita M. Antonini: *Pannonias, & Marcomannis, † Sarmatis, Vandalis, simul etiam Quadiis extinctis, servitio liberavit.* Dio Cassius (in excerpt. Xiphilini l. 71.) expresse Jazygas nominans, *Marcus*, inquit, *barbaris, qui circum Istrum sunt, Jazygibus & Marcomannis, nunc his, nunc illis, continenter, quamdiu vixit, bella intulit.* Et Arrianus (l. 1. de exped. Alex. M. p. 8.) sedes eorum ita definit: *Celticarum nationum extremi sunt Quadi & Marcomanni: deinde Jazyges, Sauromatarum pars; ulterius Geta, qui Apathanatzontes dicuntur; exinde Sauromatarum vulgus; postremo Scythæ ad exitum fluminis (Istri) usq; &c.*

[Eutropius l. 8. p. 819. & Orosius l. 7. c. 15. p. 539. enumeratis à Capitulo populis etiam Svevos, atque omnem pene barbariem, superaddunt.]

Positio IV.

Inquis: quonam vero jure Imperator a prostratis Sarmatis quasi solis SARMATICI ambivit titulum? Inno vero quatenus in bellis istis præter Sarmatas aliæ quoq; nationes, §. 3. recensitæ, infesta Romanis intulerunt signa, cur non ab aliis quoq; arcessitum cognomen? R. Ratio denominationis petita fuit vel ab autoribus belli, non fociiis, vel a pluralitate cæsorum. Licet igitur in sociali ejusmodi bello plurimæ nationes adversum Romanos insurrexerint, quando tamen de Sarmatis aut Dacis, tanq. Autoribus, reportata Victoria, tunc, fociorum suppresso nomine, Sarmatici aut Dacici arripit Titulus: & quando Marcomannorum, itidem Sarmaticas copias in auxilium vocantium, maxima pars cæsi, tunc Imperator non à fociiis ipsorum Sarmaticus, neq; tamen etiam ab ipsis Marcomannis *Marcomannicus*, verum, quæ Romanorum ambitio erat, generaliori nomine GERMANICUS salutatus fuit. Xiphil.

Positio V.

Quo fine Nummi isti signati fuerint, partim ex Inscriptionibus, §. 2. collectis, partim e FIGURIS, in limine delineatis, liquet. Reportatæ nempe de SARMATIS Victoriæ monumentum debuerunt esse. Id intendebant I. *Domitiani* Numismata, in quorum priori (*juxta Oisfel. in Thef. Num. p. 105.*) Captivus scuto oblongo insidens, sinistra caput incli-

RATURUM

natum lugentis instar suffulciens, & pone se fractam sagittam intuens, Ty-
 pum SARMATIÆ, ut fert inscriptio, devictæ exhibere creditur. Nudi-
 tas n. captivi, scuti depositio, lugubris situatio & telum fractum, servilis
 conditionis signa sunt. In altero cernitur Sarmata, in dextrum genu pro-
 cumbens, & dextra signum militare Romanum cum vexillo, ut videtur,
 tradens; & hoc quidem ideo, ut credamus, sub Domitiano Sarmatas cæ-
 sos signa quædam militaria, Romanis antehac abstracta, restituisse. Rem
 ipsam Svetonius in Domit. c. 6. ita exponit: *Expeditiones partim sponte su-
 scepit, partim necessario: sponte in Catos, necessario unam in Sarmatas, legione
 cum legato simul cæsa. In Dacos - De Cattis Daciq; post variâ pralia duplicem
 triumphum egit; de Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit. Eutrop. l.
 VII. Nemo tamen inde Triumphum de Sarmatis colligat. Egit ille, quis
 enim negaverit? Triumphum, & eum quidem satis eumentum, de Dacis,
 de quo false admodum Dio Cass. l. 67. Egit Triumphos, vel (ut vulgo lo-
 quebantur,) exequias eorum, qui in Dacia Romaq; mortem obierant. nec male
 Orosius l. 7. c. 10. Domitianus pravissima elatus jactantia sub nomine supera-
 torum hostium de extinctis legionibus triumphavit. (Confer. Sarnicius l. 2.
 Ann. Pol. p. 86.) Ceterum jactata illa, & simul in Nummis consignata,
 Sarmatarum victoria aut suspecta penitus est, (ob legionem simul cum lega-
 to cæsam,) aut sanequam exigua. Postquam enim affirmaverat Svetoni-
 us, de Cattis Dacisq; Triumphum (personatum) egisse eundem, lauream
 modo de Sarmatis Jovi Capitol. retulisse perhibet. At vero lauream Jovi
 Cap. inferre, Triumpho quid minus est, stante Rep. etiam iis competens,
 qui cæsis hostibus imperatores salutati fuerant, sive illi res triumpho di-
 gnas gesserant, sive starent eorum facta infra gloriam triumphi. (Casaub.
 Animadvers. in Sveton. p. 570.) Absonum igitur fuerit, e duobus Domit.
 Nummis solidum de Ejusdem Victoria & Triumpho neectere argumentum,
 De reliquis in seqq.*

S. D. G.

